

nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Hanc suavitatem misericordiae suae Dominus nobis offert per eundem prophetam, dicens: *Memento horum Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu. Formari te, servus meus es tu, Israel, non oblivisceris mei: delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te. Et iterum: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.*

XXVIII. Qui autem has dulcissimas vocationes Dei neglexerint in praesenti tempore, dum inveniri potest, et dum prope est, et venerit tempus jam non operandi, sed recipiendi unumquemque secundum opera sua, audiens amaras improperationes: *Vocavi, et renuistis; extendi manus meas, et non fuit*

A qui aspiceret. *Desperastis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in intuitu vestro ridebo. Tunc erit eis illa infructuosa conversio, de qua Dominus per prophetam loquitur omnibus dicens: Convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei. Ecce enim dies venit succensa quasi caminus; et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem, stipula: et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non relinquet eis radicem et germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiae, et sanitas in pennis ejus, et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios, cum fuerit cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.*

AGOBARDI FLEBILIS EPISTOLA

DE DIVISIONE IMPERII FRANCORUM INTER FILIOS LUDOVICI IMPERATORIS

I. Domino gloriosissimo Ludovico imperatori Agobardus servulus.

Cum unusquisque fidelis omni fidei sinceritate debeat, dubium non est quod praecipue fideli praelato, cui res publica ad gubernandum commissa est, fides servanda sit ab omnibus, qui divinae dispositioni fideliter subjecti sunt, sicut Apostolus docet: *Omnis, inquam, anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: quanquam circa nullum infideliter agendum sit. Propter quod et alius apostolus dicit: *Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum*: et docemur orare pro omnibus hominibus, pro regibus et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate. Et in alio loco dicitur: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

II. Cum autem haec ita sint, et omnes vobis fideles esse debeant, quomodo quisquam fidelis vobis esse poterit, si videns aut intelligens vestrum periculum, non se ingerit quantum potest, ut vobis indicet et cognitum faciat, si tamen locus aut facultas penitus illi non denegatur? Testor omnipotentem Deum, qui scrutator est cordium et renum,

quia nulla alia exstat causa, pro qua haec scribere praesumo, nisi quia doleo, quantum dicere non possum, de periculis quae vobis imminere videntur, et maxime animae. Nam quanto excellentior substantia est anima corpore, tanto excellentiori sollicitudine curam animae gerere debemus, quam corporis; ita Domino docente in Evangeliiis, sicut ipsi optime nostis.

III. Anno itaque praesenti, in attritione et commotione, agitatione et afflictione terrae et habitantium in ea quanta mala increbuerint, nemo hominum est qui enumerare possit, nulla exigente causa, nulla compellente necessitate ut ita fieri oporteret certamina quae tenemus: quia si voluissetis, tranquillam et quietam vitam ageretis cum filiis vestris, non minus quam e pater vester, et avus. Adsit omnipotens et misericors Deus, qui habitator est pectoris vestri, adsit etiam patientia vestra, qua ceteros homines praecellit, ut haec quae suggero tranquille audire et perpendere dignemini.

IV. In illo tempore, quando filium vestrum participem nominis vestri facere curastis, ita in publicum vestrum interrogando hoc inchoastis, dicen-

BALUZII NOTAE.

^a In codice regio nullus hoc loco titulus exstat. Itaque cum retinimus qui a Massono inventus est. Quanquam animus erat istud quoque mutare. Sed quia titulus hic jam prevaluit, et flebilis epistolae nomine citari consuevit hic libellus, visum est mutari non debere.

^b Anno praesenti, id est, anno 833. Tunc enim Ludovicus filiorum rebellionem compescere meditatus, exercitum adversus eos collegit, infelici prorsus eventu, ut tradunt scriptores illorum temporum.

^c Pater vester et avus, Carolus Magnus et Pippinus.

^d Participem nominis vestri. Contigit istud anno 817, ut Eginhardus tradit. Ludovicus imperator, inquit, e generalem populi sui conventum Aquisgrani more solito habuit; in quo filium suum primogenitum Lotharium coronavit, et nominis atque imperii

sui socium sibi constituit. Sed fusius ista prosequitur auctor Chronici Moissiacensis, qui fidem etiam astruit rebus quas hic enarrat Agobardus. c An. 817 Ludovicus imperator, inquit, apud Aquis palatium celebravit Pascha. Et in ipsa aetate jussit esse ibi conventum populi de omni regno vel imperio suo, apud Aquis sedem regiam, id est, episcopos, abbates, sive comites et majores natu Francorum. Et manifestavit eis mysterium consilii sui quod cogitaverat, ut constitueret unum de filiis suis imperatorem. Habebat enim tres filios ex uxore Ermengarda regina. Nomen uni Clotarius, nomen secundi Pippinus, et nomen tertii Ludovicus. Tunc omni populo placuit ut ipse, se vivente, constitueret unum ex filiis suis imperare, sicut Carolus pater ejus fecerat ipsum. Tunc tribus diebus jejunatum est ab omni populo.

tes : Quod ad stabilimentum regni pertinet, et ad robur regiminis, debet homo differre, an non? Cumque omnes respondissent quod utile et necessarium est, non esse differendum, sed potius accelerandum; statim vos, quod cum paucissimis tractaveratis, omnibus aperuistis; et dixistis vos velle propter fragilitatem vitæ, cui incerta est mors, ut dum valeretis, nomen imperatoris uni ex tribus filiis vestris imponeretis, in quo voluntatem Dei quoquomodo cognoscere potuissetis. Propter quam cognoscendam injunxistis ut facerent omnes jejunium triduanum, offerrent sacerdotes sacrificia omnipotentis Deo, qui suavis et mitis et multæ misericordiæ est omnibus invocantibus se; fieret quoque ab omnibus eleemosyna per illud triduum solito largior, ut omnipotens Deus, qui summa benignitate regit corda in se sperantium, infunderet in corde vestro voluntatem suam, et non sineret super alium inclinari voluntatem vestram, nisi super eum qui sibi placuisset. Itaque perfecistis omnia quæ in tali re facienda erant, tali fide et spe, ut hoc a Deo vobis infusum et inspiratum nemo dubitaret. Cæteris filiis vestris ^a designastis partes regni vestri; sed ut ^b unum regnum esset, non tria, prætulistis eum illis quem participem nominis vestri fecistis; ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare, et roborare, et consortem nominis vestri factum, ^c Romam misistis ^a summo pontifice gesta vestra probanda

A et firmanda; ac deinde ^d jurare omnes jussistis ut talem electionem et divisionem cuncti sequerentur ac servarent. Quod juramentum nemini visum est spernendum, aut superfluum, sed potius opportunum atque legitimum, eo quod ad pacem et concordiam pertinere videretur. In processu quoque temporis, quotiescunque aut quocunque imperiales litteræ mitterentur, ^e amborum imperatorum nomina continebant. Postea vero mutata voluntate, convulsæ sunt statuta, et de litteris ^f nomen omissum est, et in omnibus contraria attentata sunt; cum neque per seipsum Deus, neque per angelum, neque per prophetam vobis dixerit, *Pœnitet me ita constituisse*, sicut de Saule dixit Samueli : adhuc quoque nescitis qualiter in secretis Dei consiliis definitum sit.

B Et ecce, sine ulla ratione et consilio, quem cum Deo elegistis, sine Deo repudiatis, et cujus voluntatem in eligendo quæsitis, non exspectato exitu voluntatis ejus, rem probatam reprobatis. Non ignorat prudentia vestra, quod sequendus est Deus, non præcedendus. Nam qui præcedere vult, tentat quod non est ex fide, dicente ipso Domino : *Non tentabis Dominum Deum tuum*.

V. Oro, domine mi, adsit benignissima pietas vestra, ne aspernanter ista accipiatis; sed potius ingredimini sacrarium mentis vestræ cum Deo, et loquimini cum illo mediante fidei pietate; et invenietis vos dixisse Deo, non verbis, sed rebus :

BALUZII NOTE.

ac litanizæ factæ. Post hoc jam dictus imperator Clotarium, qui erat major natu, imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei imperium, populis acclamantibus, et dicentibus, *Vivat imperator Clotarius*. Facta est autem lætitia magna in populo die illo. Et ipse imperator benedixit Dominum, dicens : Benedictus es Dominus Deus noster, qui dedisti hodie ex semine meo consedentem in solio meo, videntibus oculis meis. ^b Actum id. III Kal. Augusti scribit auctor ineditus Annalium Anianensium.

^a *Designastis partes regni*. Pippino videlicet Aquitaniam, Ludovico Bajoariam.

^b *Ut unum regnum esset, non tria*. Aliter tamen deinde evenit. Nam triplex ex uno Francorum regnum factum est, post Ludovici mortem, uti dictum est ad epistolam Lupi Ferrariensis.

^c *Romam misistis*. Ne quis existimet id factum fuisse statim post conventum Aquisgranensem, neque ideo missum Lotharium ut coronam imperii a pontifice Romano acciperet, ac si tum necessaria novo imperatori fuisset approbatio summi pontificis, afferam verba Eginhardi, viri in aula educati, et negotiorum publicorum gnari, majestatisque jurium callentissimi ac temperantissimi scriptoris. Postquam ergo dixit Lotharium a patre in Italiam missum fuisse an. 822, ut rem publicam illic administraret, hæc demum ait ad annum 823 : « Lotharius vero cum secundum patris jussionem in Italia justitias faceret, et jam se ad revertendum de Italia properaret, rogante Paschale papa Romam venit; et honorifice ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud sanctum Petrum regni coronam et imperatoris et Augusti nomen accepit. Inde Papiam regressus, mense Junio ad imperatorem venit. » Idipsum scribit etiam auctor Vitæ Ludovici Pii, itemque alii.

^d *Jurare omnes jussistis*. Ex isto præcipue loco evincere conatur R. P. Theophilus Raynaudus Agobardum debere eximi a culpa, tametsi rebellionem Lotharii foverit adversus patrem. « Nullo modo fe-

C renda est, inquit, procacitas et petulantia recentiorum, qui metientes de suo ingenio cæteros, Agobardum tanquam factiosum et seditiosum traducunt, iisque eum floribus conspergunt, ut, si illos audimus, maligna omnino ac pessima voluntate versatus sit in negotio proposito; contra quam aperte habetur ex ipsiusmet Agobardi epistola ad Ludovicum imperatorem; ex qua manifeste liquet Agobardum, metu potius violandi numinis et temerandi juramenti auctore ipso Ludovico præstiti filio, quam malo erga Ludovicum affectu, aliquid molitum. » Quasi vero non constet neminem se reum fateri, et quicumque rebellionem cœptant aut fovent, justis se de causis facere non profiteantur. Denique si deest prætextus boni publici, obtenditur infractio pactionum, violatio jurisjurandi, aut aliquid simile. Quod si illa Theophili Raynaudi argumentatio valeret, facile ostenderem extra culpam esse episcopos omnes qui exaurationem Ludovici peregere. Quid enim in speciem sanctius, quid religiosius, quid episcopali gravitate dignius, quam Acta impiæ illius ac nefandæ exaurationis? Et tamen posteritas istos culpavit, neque quisquam hactenus infamem illam principis optimi dejectionem excusare aggressus est, eorum nimirum qui post illos vivere. Nam vel unus Agobardus exemplo erit, non destitutas fuisse Lotharii partes viris eruditis, qui manu linguaque rebellionem foverent. Ego veneror Agobardum ex animo; sed hominem fuisse credo : et quæ perperam egit, ea neque probo, neque excusare conor.

^e *Amborum imperatorum nomina*. Earum litterarum hoc initium erat : *Hludowicus et Hlotharius divina ordinante providentia imperatores Augusti*.

^f *Nomen omissum est*. Accendit haud dubie contumelia illa animum Lotharii. Cur enim se consortem imperii fecisset pater, si postea nomen suum in consortio paterni, quod per multos annos usurpatum fuerat, nollet admitti.

Domine, rogavimus et deprecati sumus faciem respectus tui suppliciter, ut tua illuminatione et gubernatione eligeremus participem imperii: sed quia tecum bene non fecimus, sine te melius consilium invenimus. Absit, absit. Avertat Deus a vobis ut inspirationem Dei repudietis, et voluntatem nominum carnalia tantum sapientium statuatis, ut in errorem inducamini, et deducamini. Obsecro clementiam vestram, ut secundum a Deo vobis collatam prudentiam perpendatis quomodo beatus Jacobus Apostolus reprehendat eos qui propriis animorum motibus proponunt aliqua se facturos sine prospectu divinæ permissionis, dicens: *Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut cras ibimus in illam civitatem, et faciemus quidem ibi annum, et mercabimur, et lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastinum. Quæ enim est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit, et, Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* Et cavete ab hominibus qui sequuntur spiritum suum, quia non omnium est fides.

VI. Cognovit Dominus qui sunt ejus; et quicumque ejus sumus, quantulacunque veritatis luce fruimur, et veritate illuminante sinceriter vos amamus, fideliter vestram sempiternam felicitatem exoptamus; et idcirco tanta mala, tanta scelera

A isto anno ex hac occasione perpetrata dolemus, et timeamus valde ne in vos furor Dei concietur. Recordamur namque ardentissimæ religionis vestræ, quam cognovimus semper in assiduitate orationum, in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantantem et psallentem Deo in corde puro, in contritione cordis, in compunctione placidæ mentis, in sollicitudine misericordiarum et omnium bonorum strenuitate. Et ideo, ut dictum est, timendum nobis videtur, ne tepescat, ne frigescat, optandum vero ut fervescat et augeatur perseverando usque in finem, ut salus sempiterna sequatur.

VII. Et quia superius de legitimo et opportuno juramento mentio facta est, videtur mihi non celandum excellentiæ vestræ, quod multa murmuratio est nunc inter homines propter contraria et diversa juramenta, et non sola murmuratio, sed et tristitia, et detractio adversum vos: quod mihi usquequaque disollet: quorum murmuratio ad illud pertinere eis videtur quod beatus Hieronymus in expositione Jeremiæ dicit in illo loco ubi propheta ait: *Et jurabis: vivit Dominus, in veritate et in iudicio et justitia.* Ait ergo prædictus doctor: « Simulque animadvertendum, quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque justitiam. Si ista defuerint; nequaquam erit juramentum, sed perjurium. »

• DE COMPARATIONE REGIMINIS ECCLESIASTICI ET POLITICI

Et in quibus Ecclesiæ dignitas præfulgeat imperiorum majestati.

I. Domno clementissimo et Christianissimo ac per hoc omni laude dignissimo imperatori Ludovico Agobardus.

Jubet vestra prudentissima solertia contra ^b commotiones hujus temporis paratum esse utrumque ordinem, militare videlicet, et ecclesiasticum; id est, et eos qui sæculari militiæ, et illos qui sacris ministeriis inserviunt; et illos quidem ad certandum ferro, istos autem ad disceptandum verbo; ut similes similibus obsistere valeant. In qua re summopere sciendum est, quod in congressione armorum plus expectanda est justitia superni regiminis, quam ro-

BALUZII

^a Liber iste in aliis editionibus, præter istam Agobardi ad Ludovicum imperatorem epistolam, complectebatur etiam epistolam Gregorii IV ad episcopos regni Francorum, et Librum apologeticum pro filiis ejusdem Ludovici. Verum et res ipsa et vetusti codicis auctoritas suaserunt ut hæc tria distinguere-mus. Nam certum est epistolam ad Ludovicum scriptam terminari in his verbis, *Hujus rei nisus merita vestra appropinquare faciat apostolicis meritis.* Tum ^a qui debuit, sed non in eodem libro, epistola seu erius fragmentum epistolæ Gregorii IV ad episcopos partis Ludovici: quæ vel ob hoc ipsum in eodem fasciculo alligari non debuit, quod nulla illius mentio exstet in epistola ad Ludovicum. Liber demum apologeticus procul dubio ab utraque epistola disjungi debuit. Nam nihil aliud est quam liber in publicum emissus, ac per omnes ubique provincias, ut patet, vulgatus, ad probandum justas fuisse causas quibus

C bur brachiorum; in altercatione autem sermonum plus expectanda est veritas, quam copia verborum. Propter quod orandum est ab omnibus tota intentione mentis, ut ille de quo vos dicitis, *Dominus illuminatio mea et salus mea*, quia illuminatio vestra est, illustret faciem suam super vos; et quia salus vestra est, salvum vos faciat in sua misericordia, ut huic orationi congruenter vos subjungatis: *Domine non confundar, quoniam invocavi te.*

II. Ego igitur servulus vester, cum cognovissem ex vestro sacro præcepto jussum mihi esse ad vestram præsentiam properare ita paratum, ut cum

NOTÆ.

D moti Lotharius fratresque ejus arma adversus patrem moverunt: id quod nos hodie Gallica lingua vocamus *un manifeste*. Et, quod jugulum petit, tres illæ lucubrationes disjunctæ ac divisæ sunt in codice regio; incipiuntque omnes a majuscula littera, ut solent initia librorum. Verum quia posteriores Agobardi lucubrationes nullum titulum habent in veteri codice, amanuensis, ad cujus fidem prodiit editio Massonica, putavit hæc conjungi debere. Cæterum, istius quoque libelli titulus nullus erat in veteri codice. Itaque retinimus eum quem Massonus fecit, non aliam tamen ob causam, quam quia jam obtinuit ut eo titulo laudetur ab eruditis.

^b *Commotiones hujus temporis*, id est bella et dissensiones quæ in regno Francorum erant anno 833 ob divisionem Ludovici filiorumque ejus, ceu antea diximus.